41

ALPHONSI DELBE-
NEI, EPISCOPI ALBIENSIS,
AC ABBATIS ALTÆCOMBÆ,

De familiæ Ciſtercianæ, necnon Altæcombæ, San-
cti Sulpicij, ac Stamedei Cœnobiorum
in Sabaudia ſitorum, origine,

AD

Summè venerandum Edmundum à Cruce, Abbatem
Ciſtercij, Regis Gallorum Conſiliarium, ac
totius familiæ Ciſtercianæ ſum-
mum Præſulem.

BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE VITTORIO EMANUELE

CAMBERII.
APVD CLAVDIVM POMARVM.
M. D. XCIIII.

D. SISTO
ABATE BENIGNI

ALPHONSVS DELBENEVS, EPISCOPVS ALBIENSIS, AC ABBAS ALTÆ*combæ, ſummè venerando Edmundo à Cruce, Abbati Ciſtercij, Regis Gallorum Conſiliario, ac totius familiæ Ciſtercianæ ſummo Præſuli,* S. P. D.

CVM nuper Altæcombæ tuæ eſſes (Præſul vigilantiſſime) vt ſarmenta vitis Ciſtercianę malè nata, cō torta, deorſum ſpectantia reſcinderes, in eum ſermonem incidimus, de religioſis domibus veſtræ familiæ Ciſtercianæ, quæ in Allobrogibus & Sebuſianis ſitæ ſunt. Quęrebas enim earum ortum, quibúſue temporibus cœpiſſent, & à quibus Principibus locupletatæ fuiſsēt: Addebas enim omnes res illuſtres harum regionum ſuis temporibus, à me notatas fuiſſe, & quod difficillimum eſſet familiarum etiam Principum origines, atque clarorum virorum propagines affabre ſubtexuiſſe, atque diligentiſſimum antiquitatis perſcrutatorem eſſe prædicabas:

quaſquidem laudes etſi, non pro merito,ſed pro tua erga me beneuolentia à te efferri ſciebam, tamē eas præ ſe ferre deſideriū cognoſcendæ originis earum cognoui. Quare,vt tuæ ſollicitudini ſatisfacerē,quic quid ex veteribus tabulis ac monumentis, necnon ex hiſtoriis habui cognitum,ſeparatim in hoc opere exponere volui,eruendæ veritatis cauſa, quæ paullu lum à nõnullis Sabaudicæ hiſtoriæ ſcriptoribus adhuc obtecta fuit. De quibus verba faciam, ſi pauca prius de dignitate,ac origine veſtræ familiæ dixero. Et verò inter omnes homines,qui inſtituta religioſa ſunt amplexi,vt vitā perfectā & ab omnibus vitiis liberam aſſequerentur, videntur mihi Ciſtercienſes non modò ſanctitate & duritate, ac ſeueritate vitæ, verùmetiam propagatione ceteris omnibus antecelluiſſe. Nam diligētia, induſtriáque ſuperauerunt omnia naturæ impedimēta, quæ animum à vera caritate & Dei cultu auertere poſſunt:omneſque acerbitates perpeti, quàm non ſe ſe totos famulatui Dei deuouere, neque vllum laborem propagandi regni cœleſtis gratia recuſarunt. Robertus enim Moliſmi Abbas,& primus Ciſtercij, cum animaduerteret inſtituta religioſa diui Benedicti,licentia quadā à ſuis Religioſis laxari propter opes, quæ non ſolum ad vſus neceſſarios expetūtur, verùmetiam ad perfruendas voluptates, ſumma accenſus caritate, omnes facultates & vitæ cōmoda abdicare,& pro animi ſalu-

te deuouere ſtatuit. Quare fratrum conuentu habito, his aut ſimilibus verbis eos eſt alloquut⁹. In hunc locum deuenimus (cõmilitones) vt fortiter, atque alacri animo, cõtra hoſtes humani generis pugnaremus. Res eſt nobis cum verſutis atque aſtutis dæmonibus, qui in hoc mundo nullas facultates habent. Nudi igitur cum nudis dimicare debemus: Nam ſi veſtiti ſimus habebunt quo nos arripiant, atque in terrã deijciant. Quid enim ſunt opes huiúſq; vitæ commoda, niſi corporis indumenta: quæ impediũt victoriam, & verum ſtatum religionis (quæ Chriſtiana perfectio eſt) ad quam per paupertatis, cõtinentiæ & obedientiæ vota tendimus. Ineamus igitur aliquam viam, qua adimplere poſſimus ea, quæ quotidie decãtamus: *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea:* vt ad vltimum finem noſtrum qui Deus eſt, perueniamus. Facile enim erit conata perficere, ſi veram paupertatem amplectemur, & omnia iſta vitæ commoda, ac impedimenta, quæ ſummum illum ardorem caritatis extingunt, à nobis ablegemus. Hac oratione habita omniũ religioſorum mentes mirum in modum commotæ ſunt. Sed quemadmodum frugi agricola cum ſemen ſpargit, aut in aridis, aut ſaxoſis locis, aut in tribulis, vel ſpinis, vel in terra frugifera ſemina mandat: ſic Robertus in cordibus religioſorum Moliſmenſium, vt ſementem fecit, ita meſſuit: Nam quorum corda arida & ſaxoſa

Pſal. 65.

Mat. 13. cap.

erant, id eſt fide & charitate deſtituta, nullum fructum tulerunt: Et quorum tribulis & ſpinis erant referta, id eſt voluptatum illecebris plena, ſermonem obruerunt: quorũ verò inſtar terræ frugiferæ erant, vberrimos fructus retulerunt. Et hi vnus & viginti fuere, qui haud ægre manus dedere, & ſeſe facturos polliciti ſunt, quicquid communis ſalutis cauſa conſuleretur. Quare communi conſilio ſtatuitur, vt in horridam ſolitudinem demigrarent, ibíque parcè, ac duriter vitam agerent, militibus enim Chriſti, charitate accenſis, nullus labor eſt inſolẽs, nec vllus locus eſt aſper, quia magna ſpe fulti ſunt. His rebus conſtitutis pedeſtribus itineribus in heremum Ciſterciencem deuenerunt, & locum nacti idoneum Monaſterium (conſenſu tamen & volũtate Hugonis Lugdunẽſis Archepiſcopi ſedis apoſtolicæ tunc Legati, & Valterij Cabilionenſis Epiſcopi, necnon illuſtriſs. Principis Odonis Burgundiæ Ducis) conſtruxerunt. Et ibi memorabilem diſciplinam Diui Benedicti ad vnguẽ obſeruare inſtituerunt, locumque pudicitiæ addixerũt, vt memoriæ prodidit Si-
1098. gebertus Gemblacencis ad annum octauum, & nonageſimum decimi ſeculi. Et paucis mẽſibus intermiſſis, accidit vt Robertus, qui huic ſocietati fuerat præfectus, poſtulãtibus Monachis Moliſmenſibus, Papæ Vrbani ſecundi iuſſu, ac rogatu Cabilionenſis Epiſcopi, Moliſmum reuerti cogeretur. Nam inter

hæc duo Monaſteria, aliter nulla pax eſſe poterat, præficitur in eius locum Albericus, ſanctimonia ac pietate clarus, qui ſua induſtria (Deo cooperante) hanc ſocietatē ita rexit, vt magna celebritate famæ, atque opinione ſanctitatis ab omnibus Ciſterciēſes cōmendarentur. Nam à ritu aliorum Monachorum receſſerāt, prouidētia Dei ad hunc morem deſtinati, nam penitus venere ſe abdicabāt, ab eſu carnium abſtinebant: cum optima vterentur valetudine in oratione pernoctabant, labore manuum victum, ſibi, aliiſque egenis, parabant, furibus ſimiles eos eſſe æſtimātes, qui non operarētur: ſacris præcipuè ſcripturis vacabant, & meditatione quæ ediſcerent, condiebant: Etſi in Monaſterio nemo naſceretur, quod nulli fœminæ pateret aditus, tamen non defecit hominum multitudo, ad quod quamuis vndique gentium plurimi properarent, nullus tamen admittebatur niſi quem caſtitatis fides, innocētiæ ac obedientiæ meritum, & paupertatis ſtudiū proſequeretur. Nam qui harum rerū reus eſſet, vel leuis culpæ ſuſpectus, quamuis ſumma ope adipiſci ingreſſum vellet, reſpuebatur. Hac de Ciſtercienſibus præclara fama impulſus Paſchalis ſecundus, qui clauū nauis Petri tenebat, biennio pòſt Ciſtercienſe Monaſterium in ſuam & ſedis Apoſtolicæ tuitionem ſuſcepit, vt ex eius literis apparet: Tamen ſub eiuſmodi cōditione: *Quam diu vos, ac ſucceſſores veſtri in ea, quā hodie ob-*

ſeruatis diſciplinæ, ac frugalitatis obſeruantia permanſeritis. Quæ verba notatu ſunt digniſſima. Timebat enim ſummus ille Pontifex, ne leuitate animi ad priſtinam laxitatem diſciplinæ Benedictinæ redirent. Quod nihil ſit tam flexibile, quàm hominis volun-
1107. tas. Albericus autem Ciſtercij Abbas per nouem annos, acceptum paſtoris munus, magna cũ ſanctimonia & vitæ duritate exercuit: deinde decimo anno ſuum diem extremum clauſit. Huic ſucceſſit Stephanus Hardingus homo Britãnicus, qui non minus diſciplinæ Benedictinæ, quàm paupertatis & ſeueritatis auidus fuit. Eius enim temporibus familia Ciſterciana tam clara cepit incrementa, vt eius nomen non lateret, neque eſſet abditum amplius in ſolitudine Ciſterciana: ſed in luce totius Galliæ, in oculis totius Angliæ, Germaniæ, & Italiæ, atque in auribus omnium gẽtium, ac nationum eſſet poſitum. Hæc cum pius pater animaduerteret, omnem ſuam mentem, curam, cogitationem in diſciplina conſeruanda ponebat: ne gratia, vel indulgẽtia variaretur. Sciebat enim fundamenta totius dignitatis familiæ Ciſterciane in ſumma integritate, continentia, & in graui cõſtantia diſciplinæ contineri. Cenſebat etiam magnam adhibendam eſſe conſtantiam & ſeueritatem, quæ non ſolum gratiæ, verumetiam ſuſpicioni reſiſteret, & omnem vitioſiſſimam naturam excolere poſſet, & comprimeret improbum diſciplinæ obſerua-

ſeruatorem. Et quia parui illi erat negotij, continere eos, quibus præerat, quod ij eum ita viuentem intuerentur, tanquam de cœlo eſſet delapſus, conſulere etiam ijs, qui ab alijs Præſulibus regebantur, & poſteritati ſtatuit, ne illi inuidiſſe videretur. Quare conuocato Concilio omnium præſulum ad id etiam Concilium adhibitis ex omnibus partibus Monachis eiuſcemodi orationem habuit. In hoc Conuentu vos coegi commilitones, vt in memoriam veſtram reuocarem inſtituti veſtri rationes: Scire enim debetis, vos in hanc ſocietatem cooptatos fuiſſe, non vt voluptatibus frueremini, aut in otio ſtaretis, ſed vt bellum magnum & periculoſum adminiſtraretis, & vt ſtatum vitæ perfectæ (quantum humana imbecillitas adipiſci poteſt) acquiretis, qui nō impetratur niſi ſumma charitate, quæ vinculum eſt perfectionis, non enim tonſura & abitus virum religioſum efficiūt: ſed probi mores integritas vitæ, & rerum mundanarum contemptio. Quare, vt ſumma pax, atque ſumma tranquillitas inter nos ſit, & nullæ impoſterum graues cōtrouerſiæ exiſtant, ſtatuamus conſenſu omnium ac voluntate, vt quotquot ſint religioſi, Diui Benedicti documēta, religiosè, abſque vlla interpretatione & ad vnguem obſeruēt: In diuinis verò cœlebrandis, vnus ſit idem cantus, nullæ cœrimoniæ diuerſæ, deinde vnus habitus, & modus viuēdi, vt in omnibus ſicut in moribus omnes religioſi no-

ſtrę ſocietatis cõſentiant. Pręterea ſtatuamus vt nullus Religioſus noſtri ordinis, aduerſus obſeruationem regulæ & ſtatutorum, iure quodam ſingulari, à ſummis Pontificibus conceſſo ſe muniat: nam iura ſingularia (quæ priuilegia vocantur) ſunt meræ iuris relaxitates, quæ ſi à nobis admittantur, noſtrum ordinem proculdubio labefactabunt. Nam qui ſemel fines obſeruationis tranſilierit, vix vtilis militię Dei erit: vt teſtatur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, dicẽs: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei.* Hęc quæ dico commilitones, eo quidem pertinent, vt intelligatis quàm mihi ſalus veſtra curæ ſit, vel eſſe debeat. Si modò is ego ſum, vt planè ſum, qui officium meum, memoremque erga bene meritum ordinem, animũ libenter pręſtare ſoleam. Hac re pro ſuggeſtu pronunciata, quotquot fuere illis Religioſi ſumma illis alacritas, atque cupiditas innata eſt conſtituendi inſtituta pro ſalute, & conſeruatione totius ordinis. Perque Abbates ei gratias agunt, dicũtque ſiquid minus ſapienter, adhuc ab illis prouiſum fuiſſet, curare debere, vt cùm ſumma diligẽtia corrigatur: illum eſſe gubernatorem nauis Ciſtercianę, curæ illi eſſet ne in ſcopulos incideret, ſeque eſſe paratiſſimos ad omnia imperata facienda confirmant. His dictis conſtitutiones ordinis ſtatuũntur, quæ continentur in his tabulis, quas chartam charitatiuam vocãt, vt refert Si-

gebertus ad annum ſeptimum, & cẽteſimum ſupra mileſimum. Quæquidem à Callixto ſecundo poſteà cõfirmatæ ſunt. Septimò poſt Diuus Bernardus, qui ab vltima origine ſtirpis Burgundicæ erat generatus, cuius etiam maiores acceptam equeſtrem dignitatem, & verum decus virtutiſque ſplendorem obtinuerant, annũ agens vigeſimum ſecundum, Ciſtercianorum moribus, ac ſtudijs incitatus, cùm triginta ſocijs (quos cõſuetudine ſibi deuinxerat) Ciſtercium eſt ingreſſus, ibíque ſummorũ, atque pręſtantiſſimorum virorum veſtigia eſt ſequutus, excluſiſque liberioris vitæ illecebris, legem ſibi ipſi innocentiæ, continentiæ, virtutumque omnium ſpontè induxit: hac acceſſione facta ordini, familia Ciſtercienſis, mirùm inmodum aucta eſt. Hic Diuus Bernardus per quinque annos vitam, & inſtitutum Diui Benedicti exactiſſimè eſt ſequutus: deinde à patre Stephano factus eſt Abbas Claræuallis, quo munere functus eſt per ſex, & triginta annos, cũ ſumma laude, ac vitę ſanctitate, vt ſuo ſtudio, non ſolùm liberi homines, verùmetiam diſciplinis religioſis aſtricti, vt perfectius viuerent, incitauerit ad amplectenda inſtituta Ciſtercianorum: inde parẽs fuerit centum, & ſexaginta Cœnobiorum, interquæ Altęcõbæ Cœnobium in Allobrogibus ſitum, nõ minimùm fuit, de cuius origine ſum dicturus, ſi prius Othonis Friſingenſis Epiſcopi, teſtimonium de Diuo Bernardo

attulero, qui fermè id ętatis erat, quod eſt eiuſmodi: *Erat in illo tempore in Gallia Cœnobij, Clarauallēſis Abbas, quidam Bernardus dictus, vita & moribus venerabilis Religionis ordine, conſpicuus ſapiētia, literarumq́; ſcientia præditus, ſignis et miraculis clarus.* Quæ verba belliſſime oſtendunt quàm nomen Diui Bernardi his temporibus celebrè fuit. Sed nunc tempus eſt contexendi Altæcombæ hiſtoriam. Nam quæ ſupra retulimus, non ſunt quidem à me dicta, vt hæc veſtratia te ignorare arbitrarer. Quis enim neſcit quàm ſis in rerum geſtarum notitia curioſus? ſes hæc prężfati ſumus, eorum more, quos vulgò Citharędos vocamus, qui antequam ſerio cordas, & Citharæ neruos pulſant, nonnulla futuri concentus inditia præmittunt, ad demulcendos animos auditorum, vt eos auidiores, ad ea percipiēda, quæ canere debent, efficiāt. Nunc ex inſtituto ad originem Altæcombæ accedamus. Ex veteribus monumentis, necnon ex tabulis Altæcombanis, reperimus Monachos veteris Altæcombæ, qui Alpenſes dicebantur inſtituta Ciſtercienſium amplexos fuiſſe, anno centeſimo quinto, &
1125. vigeſimo, ſupra milleſimum. Ij habitabant in valle Valperti, in loco qui tunc temporis paruus Furnus dicebatur, nunc autem vallis Seſſina dicitur, inſtituta, diui Baſilij obſeruabāt, vt colligitur ex verbis cuiuſdam veteris monumenti, quæ ſunt eiuſmodi: *Et erant Monachi Graci.* Compertum quidē eſt omnes

Monachos Orientales,inſtituta diui Baſilij tenuiſſe. Nam diuus Baſilius paſſim vocatur Monachorũ Orientaliũ Pater: ſicut diuus Benedictus Monachorum Occidẽtalium, vt cumque ſit,Monachi illi Altæcõbani ante illud tempus non militabãt ſub regula diui Benedicti, vt liquet teſtimonio duarum tabularum, vnæ à Galterino de Aquis, alteræ ſunt à Petro de Caſtilione,conceſſæ ad cõfirmationem donationis cuiuſdam prati,& terræ,datæ anno cẽteſimo vigeſimo ſexto,decimi ſeculi: in quibus apparet inſtituta Ciſtercienſium recenter id temporis accepiſſe. Nam in vna earum hæc cõditio appoſita eſt *Quamdiu Monachi eidem Eccleſiæ in cæpta Religione permãſerint,ſecundum ſcilicet regulam ſancti Benedicti,prout Ciſtercienſes intelligunt & obſeruãt.* Quæ verba apertè demonſtrant, tunc temporis recenter cooptatos fuiſſe in familiã Ciſtercianam.Quodquidem accidit,dum Viuianus eius Cœnobij erat Abbas,quem inter amicos,& familiares diui Bernardi fuiſſe cõſtat. Is enim Romam profectus eſt, vt à ſummo Pontifice impetraret facultatem ſibi, & ſuis Religioſis mutandi inſtitutũ,& in ſocietatem Ciſtercianorum demigrandi. Nam literæ cõmendatitiæ extant diui Bernardi ad Americum,Cancellariũ ſedis Apoſtolicæ,in hãc ſentẽtiam. *Volo & precor,vt harum lator venerabilis Altæcombæ Abbas Viuianus, mihi ob ſuam religioſitatem admodum familiaris amicus,amicum vos pro* Dei *amore*

1107. *& noſtro in ſuo negotio experiatur.* Et quæ ſequuntur.
1113. Viuianus autem Romæ expertus eſt commendationem amici non vulgarē fuiſſe, nam rogatu diui Bernardi, licuit ex voluntate ſedis Apoſtolicæ religioſis Altæcombæ veteris inſtitutum Ciſtercianorum ſuſcipere, vt colligitur ex epiſtola cētesima quadrageſima ſecunda diui Bernardi, quæ ſcripta eſt ad ipſos Monachos Alpenſes, cuius verba hæc ſunt: *Cæterùm vnum opus feciſtis, & omnes mirantur, quod cùm ſancti eſſetis, non reputantes veſtram ſanctitatem, alienam participare curaſtis, vt eſſetis ſanctiores*: deinde ſcriptum eſt: *Quam læto ſinu collegit vos multitudo Ciſtercienſis, quàm alacri vultu ſpectat hoc angelica celſitudo.* Quibus verbis apparet religioſos Altæcōbæ inſtituta Ciſtercienſium ſuſcepiſſe, ſub obſeruantia matris Claræuallis. Nam ea ipſa epiſtola diuus Bernardus promittit præfectum miſſurum, cuius vicaria vtebatur opera, in his quæ ad ſodalitatis gubernationem ſpectabant, quàm vocāt Priorem Clauſtralem, vt præeſſet electioni, quæ fieri debebat ſuffragijs Monachorum de nouo Abbate. Sed ne aliquis exiſtimet hanc epiſtolam, non ad Monachos Altæcōbæ, ſed ad eos, qui hodie vocantur Alpenſes, miſſam fuiſſe, teſtimonio ipſius diui Bernardi, atque etiam veterū tabularum Altæcombæ ad Altacombanos ſcriptam fuiſſe demōſtrabimus. Altacombani enim Monachi, id ætatis, Alpenſes vocabātur, vt apparet ex epiſtola vige-

ſima ſeptima ipſius Bernardi, ad Arduiſum Gebennẽlem electum, in qua hæc verba ſunt expreſſa: *Sint pietati veſtræ commendati pauperes fratres noſtri, qui circa vos ſunt Alpenſes, illi de Bonomõte, & illi de Altacomba in his experimur quanta de nobis cura ſit.* Similiter tabulæ à Galterino de Aquis, conceſſæ Altæcõbæ, eius rei fidem faciunt, quæ in hunc modum in principio ſcriptæ ſunt: *Ego Galterinus de Aquis, dono Deo, & beatæ Mariæ, Alphenſique Eccleſiæ, & donno Varrino Eccleſiæ eiuſdem Abbati:* Quibus teſtimonijs luce clari⁹ apparet religioſos Altæcombæ, tunc temporis vocatos fuiſſe Alpenſes, nec, vt Paradinus ſcripſit, religioſi Altæcõbani erant Eremitæ & Anachoretæ, vt à principio fuere, qui Monachi vocabantur, id eſt, ij qui in Ægipto congruentem nomini ſuo, id eſt, ſolitariam vitam agebant: non enim ſimul commorabantur, vt Cœnobitæ: ſed domunculas ſparſim per montes, & ſaltus habebant, vt teſtatur Euagrius: ideò Eremitæ & Anachoretæ vocabãtur: ſed erãt Cœnobitæ. Nam in eiſdem ædibus habitabant omnia habentes inter ſe cõmunia, paupertatis, caſtitatis, ac obedientiæ votis ſub vno Abbate obſtricti viuebant. De hac re fidẽ facere poſſumus, ex tabulis Altæcõbanis, quæ ſex Abbates fuiſſe in veteri Monaſterio demonſtrãt, nempe Bonifacium, Girardum, Varrinum, Rodulphum, Petrum, Viuianum, quẽ diximus, intima familiaritate cum diuo Bernardo coniunctum fuiſſe,

& in cuius gratiam eum literas ſcripſiſſe ad Cancellarium ſedis Apoſtolicæ,ſupra demõſtrauimus. Extant etiam literæ,à Stephano Regio de Montefalcone, datæ ad annum centeſimum nonum, ſupra milleſimum, in quibus nominatim Religioſi,qui tunc erãt inſcripti ſunt:nempe Americus,qui vices Prioris gerebat, Boſo æditurs, Petrus quondam Abbas, Rodulphus de Cuſſi,quęquidem literæ factæ fuerãt in deambulatorio ipſius Monaſterij,his teſtimonijs fuiſſe Cœnobitas,& non Eremitas apparet. Ea enim loca in quæ Religioſi viri vna habitabãt Cœnobia à communione vitæ, potius quàm Monaſteria vocabantur:tamen quia conuerſatio Cœnobitarum non multum aberat à ſolitudine Cœnobitæ & Monachi vocãtur,& earum habitationes Monaſteria. Ego aliquando ad locum, in quò vetus illud Monaſterium erat ſitum, me contuli,vt veteres ruinas oculis perluſtrarem, & reperi in radicibus montis Seſſinæ, non longè à via qua itur Rumiliacum,propè vicũ Grangiarum,partem ædis adhuc ſtantem,& multa alia veſtigia ædificiorũ Monaſterij,Puteum & Vinarium. Qua autem ætate fuerit conſtructum, nullis monumentis compertum habeo: ſed certum eſt extitiſſe ante annum centeſimũ nonum, ſupra milleſimum, teſtimonio tabularum ſupra relatarum. Quo enim tempore in nouam Altamcombam demigrarint Alpẽſes illi Monachi,non eſt dictu facile, quoniam tabulæ

bulæ donationis loci Altacombani,ab Amedeo primo Comite Sabaudiæ conceſſæ,ſunt ſine die & con ſule: Etſi præ ſe ferãt miram antiquitatem,ac fidem. Nam in his multi Equeſtris ordinis, ac ingenui hominis teſtes ſunt, quæ poſtea ab Arduitio Epiſcopo Gebennenſi confirmatæ, atque approbatæ ſunt: vt apparet ex literis eius ſigillo munitis. Tamen ſi con iectura vti licet, eo ipſo anno quò in familiã Ciſtercienſem ingreſſi ſunt,deueniſſe arbitramur.Quia in veteri monimento teſtatũ reperimus. Locus autem in quò Cœnobium ſitum eſt, ab eo tempore dictus eſt Altacomba, cùm ante vocaretur Charaya, & Lacus qui nunc Burgites vocatur,tunc temporis Caſtilionis Lac⁹ denominabatur. In quò loco denſiſſimæ erant Syluæ,quæ cęſæ ſunt ab iſtis,non in diligentibus Monachis Altacombanis,cùm rei familiaris tan tum operæ darent, quãtum liceret à diuinis vacare. Et ſic locũ prius horridum amœnum & vitibus con ſitum reddiderunt. Ibi enim fontes lepidiſſimi ex monte defluũt, ex quibus aquari licet. Et inter alios vnus eſt celebris, qui ab accolis vulgo Mirabilis appellatur, quod velut alter Euripus, ſuum fluxum & refluxum habeat. Tradunt noſtri hiſtoriæ ſcriptores ad hunc locum habitãdum diuinitus fuiſſe vocatos, ibíque ex mõte Seſſino vidiſſe lumen, quo inuitati, ad eum profecti ſint: &,opportunitate loci allectos, eum delegiſſe, maximè propter vicinitatem Lacus,

cuius mira eſt commoditas. Nam piſcium eſt pleniſſimus, qui ad eſum ſunt delicatiſſimi: veluti Troctæ prægrandes, Lucij, Percæ, Carpæ, Ambli, Brammæ, Anguillæ craſſæ, Lauaretij (cuius piſcis genus nuſquã alibi reperitur.) Ab illo Lacu Sauit fluuius Caſtillionem verſus defluit in Rhodanũ, & ſic ab Alta comba ad Mare Gallicum commodiſſimè nauigari poteſt. Habet ad meridiem vicum Burgitem, à quo nomen deſumpſit: ad orientem vicum ſancti Innocentij, in quo Prioratus eſt, qui nunc Monaſterio ſubeſt, & oppidum Aquenſe aquis calidis celebre: ad occidẽtem Solem Cœnobium ſitum eſt, quod ſumptibus, & liberalitate Humberti tertij, Comitis Sabaudię perfectum eſt. Amedeus enim eius pater fundamenta iecerat, & locum, in quo ſitum eſt, dederat: vt apparet ex literis donationis per eũ factæ, ab Arduitio Epiſcopo Gebennenſi approbatis, vt ſupra retulimus. Is eſt enim Arduitius, ad quem ſcripſit diuus Bernardus in commendationem Monachorum Altæcõbæ, vt apparet ex epiſtola vigeſima ſeptima. Sed vt maior fides habeatur, hic referre libet verba tabularum: nam in his pietas pij Principis Amedei elucet, quæ ſunt eiuſmodi. *Ego Amedeus, Comes de Sauoya, laudante vxore mea, dono Deo, & beatæ Mariæ, & Amedeo Abbati Altæcombæ, & fratribus eiuſdem loci, tam præſentibus, quàm futuris, de allodio meo, illam ſcilicet terram, quam habeo, vel habere debeo, ſuper ripam laci de*

Caſtillione in pratis, in campis, in arboribus fructiferis vel infructiferis, vel alio quolibet modo, quæ olim Charaia & Exendilles, nunc autem Altacomba nuncupatur, excluſa prorſus omni doloſa retentione. Hoc quoque donum cæteri, qui ibi aliquam partem habebant, vel habere videbãtur, quorum nomina ſubſcripta ſunt firmiter et ſine dolo ſupradictis fratribus fecerunt, atq; confirmauerunt. Si quis forte de hæredibus noſtris, vel alia qualibet perſona, contra donationem iſtã venerit, & eam violare quoquo modo voluerit, maledictioni ſubiaceat. Et ſicut Adam contra Domini voluntatem faciens de Paradiſo expulſus eſt: ſic & ipſe ab omnium conſortio fidelium ſeparetur, adituſq; ei regni cæleſtis perpetuo claudatur, & portæ inferi ei aperientur, atque illic cum Diabolo ſine fine crucietur: Et poſtea donatio iſta immobilis in æternum perſeueret. Nomina ingenuorum hominum appoſita in his tabulis ſunt hæc, *Bernardus de Cappiluto, & Toreſtanus filius, Villermus Soffredi, Arbuſſa & filij eius, Soffredus Cibons & vxor eius, Ioannes Ruffus:* Multa ſunt alia nomina, quæ minime legi poſſunt, quia vetuſtate ſunt obliterata. His literis manifeſtũ eſt Amedeum ſecundum tunc temporis Comitem Sauoye nominatum fuiſſe, quod nomen à Sebuſianis dictũ exiſtimo: Et ſi Raphael Volaterranus dicat Sabaudos à Sabatijs vadis dictos, & Vignerius ab hoc nomine (Sapaudia). Quodquidem nomen legitur in libro, qui inſcribitur, Notitia Imperij Romani: in eo loco vbi de præfectis ponti-

um, riparum, ac fluminum auctor loquitur, his verbis: *Præfectus claſsis Barcariorum Ebuidumq; Sapaudiæ: et alio loco, Tribunus cohortis primæ flauiæ Sapaudiæ Calarone.* Sed fortaſſe iſti loci ſunt corrupti: Cæſar enim vocat Sebuſianos eos populos, qui trãs Rhodanum habitant: *Sebuſiani* (inquit) *ſunt trans Rhodanum primi.* Facilis eſt lapſus B. in V. Et facilimè homines Aquitani ſic pronunciãt, vt dictum ſit Sauoſiani pro Sebuſiani. His etiã tabulis animaduertitur primum Abbatẽ noui Monaſterij fuiſſe Amedeum, qui poſt modum Loſanenſis Epiſcopus deſignatus fuit, & aliud fuiſſe nomen lacus quam nunc eſt. Cùm ea ætate diceretur lacus de Caſtillione, nunc Burgites vocatur. Locus etiam, vbi ſitum eſt Cœnobium Altæcombæ, dicebatur Charaia & Exẽdilles. Hoc poſtremum nomen retinuit domus quædam ad ripam lacus conſtructa paucis literis mutatis: nam nunc dicitur, ſainct Gilles. Præterea hoc notatu dignum eſt primum Principem Amedeum ea mẽte fuiſſe, vt ea quæ alacri animo Eccleſiæ conceſſerat, perpetuò remanerent. Nam hęredibus maledictiones imprecatus eſt, niſi ratam haberent eius donationem, quæquidem cõfirmata fuit cum alijs pijs donationibus ab Arduitio Epiſcopo Gebennenſi, vt ex literis eius ſigillo ſuo munitis apparet, quarum verba hęc ſunt: *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, ego Arduitius Dei gratia Gebennenſis Epiſcopus ea, quæ ſubſcripta ſunt,*

fidelibus omnibus nota volo fieri præſentibus & futuris ad hoc nos Dei gratiam in Epiſcopali dignitatis cathedra credimus ſubleuaſſe, vt Eccleſiis Dei & rebus Eccleſiaſticis cura paſtorali ſuperintendendo quieti & paci fidelium, & maxime religioſorum omnimodis attẽdamus. Et quoniam Monaſterium ſanctæ Dei genitricis Mariæ, quod Altacomba dicitur. magnifica largitione Principum, aliorumq; pia deuotione fidelium, in terris & nemoribus, & paſcuis, & cæteris ad vſum Deo inibi ſeruientiũ neceſſarijs noſtris temporibus fundatum eſſe dignoſcitur, ne ab aliquibus malefactoribus fratres ibi domino mancipati, ſeruitio inquerentur, prohibemus, & eis authoritate nobis à Deo cõmiſſa quaſcunq; terras, quæcunq; bona in preſentiarum poßident confirmamus, & ne maligna ſucceſſorum ambitio recidere, vel adnullare præſumat, quod pia prædeceſſorum liberalitate noſcitur confeciſſe: dignum duximus quaſdam donationes præfato collatas Monaſterio, nominatim ad memoriam preſenti mandare paginæ, & ad confirmationem, ſigilli noſtri appoſitione, muniri. Deinde ſequuntur donationes quarum prima illa eſt, quam ſupra cõmemorauimus. In his tabulis Epiſcopus Gebennenſis aſſerit pia largitione Principis Cœnobium Altæcõbæ fuiſſe fundatum, atque multa bona in id contuliſſe. Humbertus vero eius filius perfecit, atque ornauit. Aſſerendum igitur eſt de iure Patronatus Principis eſſe, ſi quidem illud cõſiſtat, ut Iuriſperiti volunt in fundatione, dotatione, atque ædificatione Eccleſiæ:

pro quo iure tuendo per multos annos laborauimus. Hæc de Altacomba. Ad originem ſancti Sulpicij accedamus.

De origine ſancti Sulpicij.

Diximus multos religioſos, permotos ſanctitate Ciſtercienſium, in eorum ordinem ingreſſos fuiſſe: quod factum reperimus à religioſis viris ſancti Sulpicij veteris, qui inſtituta Clunienſium obſeruabãt. Locus in quo habitabant nunc vocatur vicus ſancti Sulpicij veteris, qui à Monaſterio nouo abeſt paſſuum tria millia, ad quem me contuli, anno nonageſimo quingenteſimo ſupra milleſimum, menſe Nouembri viſendi gratia. Mecum erat venerandus dominus Abbas ſancti Sulpicij, cui nomen Ioanni de Bellomõte, & dominus Petrus Sillimanus, Prior Monaſterij, cum nonnullis alijs Comitibus. Eò cum veniſſemus, luſtraui veteres ruinas antiqui Monaſterij, ex quibus animaduertimus fuiſſe per exiguum Monaſterium. Quo tempore fuerit conſtructum minime ſcire potuimus: ſed tantum fuiſſe religioſos Cluniacẽſes ex veteribus tabulis Monaſterii animaduerti, quarum verba hæc ſunt:

Amedeus Deyſien, & cognati eius Richardus, Petrus, et Boſo, dederunt Deo, & Monaſterio Cluniacenſi, ſine aliqua retentione ſibi vel hæredibus ſuis, quoquo modo ad ius ſuum vel ſuorum pertineat, quicquid habebant apud Prumiliacum. teſt. Humbertus Prior, & omnes prædicti, anno Domini milleſimo centeſimo.

Ex quibus tabulis duo colligi poſſunt, illud puſillum Monaſteriũ ad Cluniacẽſes ſpectauiſſe, & fuiſſe ſolummodo Prioratum (quem vocant.) Nam quibuſdam domibus Cluniacenſes quoſdam religioſos præficiebant cum libera poteſtate & authoritate, & illos Priores Conuẽtuales appellabant ad differentiam Clauſtralium. In his enim tabulis ſcriptum eſt, *Teſtis Humbertus Prior.* Quod argumento eſſe poteſt tunc temporis fuiſſe præpoſitum iſtius domus. Cluniacenſes illi inſtituta Ciſtercienſium amplexi ſunt ſub obedientia Pontimacæ matris, anno centeſimo trigeſimo, ſupra milleſimum, & nouũ Monaſterium cum Pontimacẽſibus Monachis condiderunt in eo loco in quo nunc ſancti Sulpicij ſitum eſt. Quiquidem locus datus eſt à pio Principe Amedeo, primo Comite Sabaudiæ, (vt infra demõſtrabimus,) præerat tunc temporis Pontimacẽſibus Monachis Hugo, vir mira ſanctitate præditus, qui poſtea fuit Epiſcopus Antiſſiodorẽſis, qui cõſtituit Abbatẽ quemdam Bernardum, cui ſucceſſit Aymardus, ætate quidem iuuenis, ſed bonis moribus, ſenex: vt animaduertitur ex veteri monimẽto ſcripto ad librum Martyrologij domus Sulpicianæ, cuius verba hæc ſunt:

Anno ab incarnatione Domini, milleſimo centeſimo trigeſimo. generoſa mater Pontimacenſis Eccleſiæ claro Monachorum germine fœcunda hanc de ſe ſancti Sulpicij Abbatiam cum ea, quæ Cluniacenſis nuncupatur, partu edidit

lætabūdo. Habebat autem tunc prædicta parens Hugonem nomine, genere, moribus conſpicuum doctrinæ, caritatis, & abſtinentiæ virtute præcipuum &c.

Hiſtoriæ Sabaudiæ ſcriptores tradunt Amedeum precibus vxoris adductum, Monaſterium diui Sulpicij fundaſſe, vt perſolueret vota, quæ ipſa fecerat ob prolis deſideriū. Vouerat enim, vt ferūt, ſi Deus, deprecatore Bernardo, liberos concederet, Monaſterium ordinis Ciſtercienſis ſe conſtruendum curaturam, ſed ipſemet teſtatur, vt infra demonſtrabimus, id feciſſe, antequam vllos haberet liberos. Dicēdum eſt igitur, pietatis intuitu potius, quàm vt vlla perſolueret vota. Conſtat enim locum Longæcombæ dediſſe, in quo Monaſterium extructum eſt, vt apparet ex veteribus tabulis eius Monaſterij, quaſquidem vidi, & legi, magno ſigillo Principi munitas, quarum exēplar mihi licuit perſcribere, cuius hæc ſunt verba:

Amicis dilectiſſimis ſancti Sulpicij fratribus, Comes Amedeus quicquid boni præſtet ante omnia veſtris orationibus me commendo, ſuppliciter poſtulans, vt anteceſſorum meorum memoriam habeatis, propter quod non ſolum quæ dedi vobis paratus ſum conſeruare quieta, ſed etiam, volente Deo, cupio prouidere maiora. Audiui enim quod Monaſterium veſtrum mutatis, & in aptiori loco fundatis, & placet mihi Vt ergo quieti ſitis, & nullam ab aliquibus inquietudinem patiamini, conſtituo vobis terminos, infra

quos

quos nullus deinceps ædificare præſumat, videlicet Logam-combam, collem de Curmarenchi, petroſam abietem, vel (quod planius eſt) ſappum de Viriaco. Quicunq; igitur me contempto conſtitutum meum violauerit, & infra prædictos terminos ædificauerit, omni remota occaſione, ſexaginta libras mihi perſoluet. Mando etiam amicis meis Soffredo de Bellomonte & filio eius Villermo, ipſiusq; nepotibus Guillermo & Petro: Guillermo quoque Soffredi de Grandimonte, vt & ipſi edictum meum teneant & obſeruent, & loco mei faciãt alijs obſeruari. Valete, & orate pro me. Quæcunque autem ſunt ſub iure veſtro in prædicto conſiſtant edicto: nam qui vos in aliquo læſerit, accipiet prout dignus erit. Ex his tabulis liquet potius pietatis intuitu hac liberalitate vſum fuiſſe, quã vt vlla vota pro vxore ſolueret: certum eſt enim hanc donationem feciſſe, antequam vllos ex vxore ſuſcepiſſet liberos, vt teſtatur in tabulis cõfirmationis eius donationis, quas fecit, antequam ad bellum ſacrum proficiſceretur, his verbis: *Nouerit omnis, tam extraneus, quàm propinquus hanc me donationem feciſſe, antequam de uxore mea Matildi nomine liberos aliquos procreaſſem.* Igitur non voti perſoluendi cauſa (vt dixerunt). Præterea in ijſdem tabulis cauſam apertiſſime ſcripſit, dicens:

Addidi etiam ad incrementum eleemoſinæ meæ, tam pro anima mea quàm pro anima filij mei Huberti & præ-

gra permanerent. Hęc de origine ſancti Sulpicij: nunc ad originem Stamędei veniamus.

Orig. Stamedij. In qua etiam noſtri Sabaudiæ hiſtoriæ ſcriptores (ſi vera fateri volumus) multa tradiderũt, quæ paullulum à veritate deflectũt. Dicunt enim ortas fuiſſe controuerſias inter Amedeum Comitem Sabaudiæ & Comitem Gebeneſij: ob eam cauſam ad arma concurſum eſſe, & Comitem Gebeneſij, coacta militum manu, infeſtis ſignis in fines Sabaudicos ingreſſum fuiſſe. Quod, cum reſciuiſcet Amedeus, etiã ſuas copias eduxiſſe, & obuiam illi progreſſum fuiſſe. Cùm autem vterque in ſummo iugo montis Stamędij, vtrique exercitui in cõſpectu eſſet, aciebus inſtructis & impetu facto, acriter decertatũ fuiſſe, & ab vtraque parte multos fuiſſe deſideratos, ac inter alios Comitem Gebeneſij fortiter dimicantem concidiſſe; atque ob victoriã partam Amedeum Sabaudiæ Comitem Monaſterium Stamedij conſtruẽdum curauiſſe. Quæ omnia, pace illorum dixerim, non eſſe vera credimus, hiſce de cauſis: primùm, quòd ex veteribus tabulis Altacombanis apparet tunc temporis Amedeum Comitem Gebeneſij fuiſſe anno centeſimo vigeſimo quinto decimi ſeculi: eundẽque fuiſſe ſuperſtitem anno centeſimo ſexageſimo ſecundo ſupra milleſimum, necnon etiam centeſimo ſexageſimo ſecundo decimi ſeculi: cui quidem ſucceſſit eius filius nomine Villermus, quem ex tabulis Alta-

combanis fuiſſe Comitem vſque ad annum ſeptuageſimum octauum ſupra centeſimũ & milleſimum cõſtat. Deinde, Monaſterium Stamedij non fundatum atque extructum fuit ab Amedeo Principe: ſed à Petro Tarẽtaſiæ Archiepiſcopo, qui fuerat de primis Monachis Ciſtercij. Vidimus enim in manibus domini Baronis Chevroni peruetuſtam inquiſitionem iuſſu eius Archiepiſcopi factam, anno milleſimo centeſimo trigeſimo ſecundo, in qua apparet lo- 1132.
cum ab Archiepiſcopo delectum, in quo cõſtrui debebat Monaſterium, qui quidem locus tunc temporis vocabatur Stamedium. Quod etiam teſtatur Godofredus Abbas Altæcombæ, qui iuſſu Lucij Papæ vitam ſancti Petri Tarẽtaſiencis primi Abbatis Stamedij ſcripſit, quá manu ſcriptam habeo penes me: Is Stamedium fuiſſe dictum ait, non quòd ibi ſteterit Amedeus, vt recens ſcriptor dixit, ſed quod eſſet medius inter duos Comitatus, verba eius referam:

Interea tempus adfuit, vt nouus eligeretur Abbas cum nouo fratrum examine, in nouo Stamedij Monaſterio ordinandus: dicitur vero Stamedium, quaſi ſtans medium. Quòd circa eundem locũ prouinciæ duæ, & duo conueniũt Comitatus.

His rationibus videntur Sabaudiæ hiſtoriæ ſcriptores in tractanda cauſa originis huius Monaſterij

ciſſe: ſed Amedeũ Principem bona fere omnia contuliſſe, vt ibi religioſi cõmodius Deo inſeruire poſſent, quod Godofredus etiam noſter annuere videtur, cum dicit: *Prouiderat dominus vlmum congruam huic viti*: per vitem enim intelligit familiam Ciſtercianam, & ſocietatem Stamedienſem, quæ recenter plantata fuerat ab Archiepiſcopo Petro: per vlmum intelligit Amedeum Principem, qui eam vitem fulciebat, & alias vites quę in Allobrogibus & Sebuſianis vberrimos fructus edebant, veluti ſocietas Altacombana, & ſancti Sulpicij, & nonnullæ aliæ, quod planius explicat, dicens:

Alijs in eadem tunc fructificantibus religione, illuſtrem Principem & bonorũ memoria dignum, Marchionem Italiæ, Sabaudiæ & Maurianæ, Comitem Amedeum,

Qui ſummo ſtudio Petrum Tarentaſienſem primum Stamedij Abbatem, ob morũ probitatem colebat, vt nihil iucũdius illi eſſet, quam fructu iucundiſſimæ eius conſuetudinis, ac fideliſſimis & amantiſſimis conſilijs vti: Is, vt aliquo beneficio animum ſuũ patefaceret, præter alia bona, horreum cum vineis, quæ Montem melioratum vocant, Abbati & Cœnobio liberaliſſimè contulit: & ſic beneficijs Patronũ, ac parentem eius ſocietatis ſe præbuit. Quod teſtatur noſter Godofredus, his verbis:

Hic deuotus admodum viro Dei, id eſt diuo Petro Tarentaſienſi, *præter alia beneficia, horreum quoque cum*

vineis, quod Montem melioratum vocant, eius Cœnobio contulit: vt infra arduos montes haberet, quò diuerteret, quando eum, in quo plurimum ſibi complacebat, conſilij gratia accerſeret.

Quibus verbis apparet veram cauſam huius originis ignorauiſſe. Non igitur Monaſterium Stamedij ob victoriam partam cōdidit Amedeus, ſed pietatis, & beneuolētiæ intuitu bonis auxit. Quod, ſi ijs temporibus factum fuiſſet, Godofredum Abbatem qui ferme id ætatis erat, minime latuiſſet. Magnum tamē ſemper fuit ſtudium Amedei Principis in omnem Ciſtercianorum familiam. Etenim admodum adoleſcēs magna prædia, ac poſſeſſiones dignas homine nobili, Monachis Alpenſibus prębuit. Quibus facultatibus aucti, ſua induſtria effecerunt, vt eius liberalitas in hoc præclaro Cœnobio eluceat. Et, cum Comes vxorem duxiſſet, in Sebuſianis pari pietate, ac liberalitate Sulpicianam domum multis beneficijs eſt proſequutus. Deinde cū vnicè diligeret Petrum Tarentaſienſem, ob ſingulares virtutes & eximiam morum probitatem, nullum officium amantiſſimi hominis prætermittere voluit, ita vt illius ergò contulerit amplas facultates Monaſterio Stamedij, vt religioſos ab omni rerum inopia liberaret. Pòſt, ad ſuaſionem diui Bernardi, cum Rege Fräcorum Ludouico qui ex eius ſorore ... natus, & alijs

met teſtatur in tabulis ſuperius relatis,quarum præcipua verba adferre libet,ad maiorem fidem faciendam: ea ſunt eiuſmodi:

Inter omnes eius ſeculi habitantes &c. Deinde: *Tempore igitur illo, quo publica Dei gratia, per prædicationem domini Bernardi Abbatis Claræuallẽſis,Regẽ Francorum cum innumerabilibus Chriſtiani nominis confeſſoribus ad ſuſceptionem Hieroſolymitanæ peregrinationis incitauit. Ego Amedeus Comes & Marchio,eadem nimirum gratia & exemplo vocatus ad Dei militiam pro defenſione mirificæ Crucis,cõtempto conſulatus honore, eiuſdem Crucis inſignitus munimine,conuolaui.*

Quæquidem factæ ſunt antequam proficiſceretur ad bellum,quemadmodum diximus, &,vt teſtes eſſent ſuæ voluntatis,quibus beneuolum animũ erga familiam Ciſtercienſem oſtendit,mirabiléq; ſtudium conſeruandi bona omnia, quæ ad Ciſtercienſes pertinebant. Itaque pius Princeps non ſolum omnium opinionem, de eius pietate ac virtute conceptam vicit: verum etiam maiorum gloriam longè ſuperauit. Maluit enim Chriſtiani militis ſimplex nomen profiteri, quàm Comitis nomen diutius retinere: quod in veteribus tabulis & monimentis, id ætatis apud barbaros homines,pro Conſule accipiebatur,vt idem eſſet Cõſul & Comes.Ita Dactius Locenſis Comites Andegauiæ Conſules appellat, vt Maſſonius mihi retulit.

Habes,ſummè venerande Præſul,quicquid ex ve teribus tabulis ac monimentis, necnon ex hiſtorijs de origine veſtræ Ciſtercienſis familię,& Monaſteriorum Altæcōbę,ſancti Sulpicij,ac Stamedij colligere potui. Quod quidem feci quàm lubentiſſime, vt gratum & memorem tuorũ erga me meritorum & veſtræ ſocietatis hac ſaltem in parte me pręſtarem : Tuæ autem erit ſapientiæ atque humanitatis curare, vt ſiquid à me minus accōmodatè ſcriptum ſit,tua diligētia corrigatur.Reliquum eſt,vt te orem etiam atque etiam,vt tuæ valetudini diligentiſſimè conſulas,ſi me & tuos omnes valere cupis.

Vale Altęcombę, V. Cal. Aprilis, 1593.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ.